



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Paphnutius M. 28. April.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

268 VITÆ SANCTORUM. 28. April.  
Iam induisse, non feminam; turpe fore  
viro tergum vertere, si sic mulier pugna-  
ret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis  
naturam dedisse; se denique (sive D I-  
D Y M U S jam esset, sive T H E O D O R A)  
se ad mortem damnatum clamabat. Quid  
multis? duo pugnarunt, & cernentibus  
causam lictoribus, ambo vicerunt. Ex  
*D. Ambr. l. 2. de Virg.*

*Virginitas fastigium est omniumque con-  
summatio virtutum; ad quam si quis emit-  
potuerit, hunc servum Dominus, hunc  
discipulum Magister agnoscat, hic terram  
triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia  
virtutem Dei cepit. Lactant. l. 6. de vero  
cult.*

S. PAPHNUTIUS M. 28. April.

**P**A PHNUTIUS Eremita, detectis à  
tutelari genio gentilium insidiis, fa-  
cto divino sacrificiò, ultrò in jus atque  
judicis conspectum ambulavit. Quem  
Sanguinarius canis tam foedâ verberum  
lanienâ concerpsit, ut patefactis lateri-  
bus exta in terram effunderentur, quæ  
facer custos suis denuò receptaculis ab-  
didit, vulnerumque hiatus obsepsit. Cùm  
in vinculis mirâ luce micaret, XL. se-  
natores veritatis claritate præstricti, u-  
num ac verum Numen sunt professi,  
eamque ob causam flammis absumpti.  
Non multò pòst sedecim pueros sena-  
torum

28. April. VITÆ SANCTORUM. 269  
torum filios ad tribunal adduxit, hæsitque  
alienato à sensibus in Deum animo: pue-  
ri in proposito constantes exticti. Pi-  
catores octo supra quadraginta sic amo-  
re Christianorum sacrorum accendit, ut  
unâ ad supplicium contendent, jugu-  
lumque ferro subjecerint. PAPHNUTIUS  
quadrisfariam distraictus, membraque in  
templi tectum jactata hominibus ludi-  
brium, pabulumque fœdis avibus futu-  
ra. At disiectas corporis partes Ange-  
lus conflavit, Christusque vitalem spiri-  
tum restituit. Cujus prodigii magnitu-  
dine multi ad Ecclesiam adjuncti, fi-  
dem sanguine consignarunt. Ad extre-  
mum, molâ ad collum deligatâ, in un-  
das præcipitur PAPHNUTIUS. Sed por-  
dere lapidis divinâ manu sustentato,  
cùm mergi volens non posset, in cru-  
cem actus eximiorum certaminum in ea  
arbore, quæ fortes omnes coronat, pal-  
mam tulit. Ex Metaphr.

Si sapi, in viâ, quânumquam ambu-  
lasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris,  
sed aurem Magistris inclinabis & incre-  
pationibus eorum acquiesces & consiliis;  
& operam scientiæ & lectioni dabis, ne  
serò penitens dicas: Cur detestatus sum  
disciplinam? Guerr. l. de Advent.

S. PE-